

BIBLIOTHECA
2715
UNIVERSITATIS
SALAMANICAE

ELEMENTORUM
JURIS CANONICI
VETERIS ET MODERNI
T O M U S II.

Ubi continetur
JUS CANONICUM MODERNUM
GREGORII IX.

Et aliorum Romanorum Pontificum, ac Conciliorum
Ex Iphis Fontibus

COORDINATUM

Authore

D. EUSEBIO AMORT

*Canonico Regulari Lateranensi Pollingæ Ser. ac Rev. DD. JOSEPHI
Episcopi Augustani S. R. I. Principis Darmstadiani,
Landgravii Hassiæ &c. &c. Theologo.*



FERRARIÆ MDCCLXIII.
SUMPTIBUS SEBASTIANI COLETI VENETI BIBLIOPOLÆ.

PRÆFATIO.

JAM monui, **BENEVOLE LECTOR**, in Præfatione Tomi I. non *Commentaria Legum* hoc loco expectes, sed *Leges ipsas*, coordinatas tamen, brevissime explicatas, iisque circumstantiis ex contextu vestitas, quarum contemplatione animus Judicis informari potuerit, ac etiamnum moveri possit, attenta pro casu particulari æquitate naturali, ad inflectendam in has potius quam illas partes sententiam. Cum enim totum ferme Jus Canonicum constet ex Summorum Pontificum Rescriptis ad Casus particulares, sapienter Innocentius III. præmonuit, ipsos Summos Pontifices in circumstantiis particularibus ad exigentiam *æquitatis* naturalis *dispensatione* prudentis œconomi suam sententiam inclinasse interdum, quæ *æquitatis naturalis*, vel *dispensationis* in casu particulari ratio non nisi ex contextu in fontibus intelligi potest. *In causis*, inquit, *quæ Summi Pontificis judicio deciduntur*, & *Ordo Juris*, & *vigor æquitatis* est subtiliter observandus; cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare; nisi forte, cum aliquid causa necessitatis & utilitatis inspecta *dispensative* duxerit statuendum. C. in causis 19. De sententia & re judicata. Haud equidem ignoro, quod SS. D. N. **BENEDICTUS XIV.** in suo ad *Archiepiscopum S. Dominici* Rescripto, anno 1744. 5. Decembris, per modum Epistolæ privatæ exarato, observat; *textum* in Corpore Juris expressum, non *contextum* ipsorum fontium, a **S. RAYMUNDO** ac **GREGORIO IX.** omissum, pro lege habendum esse. Id vero quamvis verissimum sit, ubi textus in Jure expressus sensum parit etiam nostris temporibus relate ad præsentis circumstantias clarum, utilem, rationi conformem, minime in abusus proclivem, nec in diversa versatilem; nemo tamen recte negaverit, ad ipsum contextum in fontibus atque ad circumstantias legis recurrendum esse, ubi verba legis obscura, intentio Legislatoris ambigua, & ipsa similitudo vel paritas casuum, ad quos facienda extensio textuum, admodum dubia est. Hæc præmonenda censeo, ne Rescripta ad casus particulares